

ex calyce facile colligo; calyx in meo Senecione Doronico est longe alius, et calyculatus.

Helianthum tuberosum vix ter vidi florentem, cum apud nos nimis sero florescere incipiat.

Evonymus verrucosus (annon potius diceres scabiosus) occurrit in herbario meo, nec dubitare possum quin sit varietas singularis, licet constans, Evonymi europaei. Quaeso hujus semina in proxima epistola mittas, cum certus sim, quod semina etiamnum haereant in arbore. Optarem habere in horto hanc singularem varietatem.

Selinum carvifolia Chabr. e figura non dignosco.

E praedio 1772. Decembr. 26.

66.

Vir celeberrime!

Respondeo ad Tuas ultimas.

Tab. 60. *Veronica austriaca*; folia quidem in planta quam quondam in horto legi, erant profundius serrata, at tamen eadem.

Veronicam tuam alteram, nunc missam, antea non vidi; certe nulla e meis est.

Sida missa est *Sida spinosa* a Dillenio delineata, habet in caule ad petiolos tres obsoletos mucrones, qui interdum exrescunt acuti.

73. *Erysimum hieracifolium* meum.

90. *Carduus tataricus*, certe simillimus, sed in horto ultra humanam attingit altitudinem.

*Artemisia maritima* certe a Tua diversa est, ut ex incluso specimine colligas, licet in horto minus tomentosa evadat.

Galium ex alpibus est *Galium uliginosum*, quod interdum rectum evadit.